

F. K. 75.

No 23.

Za
4198

14

X 2047562

JUSTA PARENTALIA
IN HONOREM
VIRI
ILLVSTRIS AC GENEROSI
CHRISTOPHORI
JOHANNIS à BULAW,

IN DUCATU BREMENSIS PRÆSULIS QVONDAM
COENOBII (VETUS QVOD VOCANT) PER-ADMODUM REVERENDI,
ET SERENISSIMI DUCIS HOLSATIÆ A CONSILIIS SANCTIORIBUS,
NEC NON BELLI GENERALIS COMMISSARII PRUDENTISSIMI,
FELICISSIMI, ADMINISTRATORIS PRÆFECTURARUM, TREMS-
BUTTANÆ, AC STEINHORSTENSIS, SUMMI
GRAVISSIMI &c:

IN ACADEMIA VVITTEBERGENSI
CELEBRATA PUBLICE

A

GEORGIO GREENIO,
TREMSB: HOLSATO.



WITTEBERGÆ,

Typis Johannis Röhneri, Acad. Typ.

ANNO M DC LVIII.



Monf. Siföub...

PRIMA PARS

IN HONORE

VIRI

ALBERTI DE GIBBERO

CHRISTOPHORI

JOHANNIS BISHOP

DE SACRATISSIMO SACRAMENTO PRIMUM QUONDAM

ET DE SACRATISSIMO SACRAMENTO PRIMUM QUONDAM

ET DE SACRATISSIMO SACRAMENTO PRIMUM QUONDAM

ET DE SACRATISSIMO SACRAMENTO PRIMUM QUONDAM

ET DE SACRATISSIMO SACRAMENTO PRIMUM QUONDAM

ET DE SACRATISSIMO SACRAMENTO PRIMUM QUONDAM

ET DE SACRATISSIMO SACRAMENTO PRIMUM QUONDAM

ET DE SACRATISSIMO SACRAMENTO PRIMUM QUONDAM

ET DE SACRATISSIMO SACRAMENTO PRIMUM QUONDAM

CHRISTOPHORI

ET DE SACRATISSIMO SACRAMENTO PRIMUM QUONDAM

WITTEBES

Typographus Robertus, Acad. Typ.

ANNO M DC LXXX

WITTEBES

WITTEBES

WITTEBES

WITTEBES

Handwritten notes in the bottom left corner.



RECTOR
ACADEMIÆ WITTEBERGENSIS
MICHAEL SEN-
NERTUS,

Medic. Doct. Anatomes & Botanices

Profesor Publicus.

CIVIBVS ACADEMICIS S. P. D.


Vetusti, neqve dum intercepti,
moris est, magnis præclarisq; viris, cum
vitæ statione deceserint, signa atq; ima-
gines ponere: ut, quorum extincta cor-
pora sunt, simulacra tamen & vultus ma-
neant, quæ eos ostendant. Nec improbanda hæc su-
perstitum pietas, quatenus conservare mortuorum me-
moriæ, & vindicare ab oblivione illustre ipsorum no-
men potest; parum efficax tamen ad bona satis fide præ-
standum illud, quod hic studetur maximè ac laboratur.
Non dicam nunc quibus exposita casibus monumenta
hujus generis sint; quam facilè tempestate, fulminibus
incendio, deleri possint ac tolli: id tantum comme-
morabo, solam ibi exprimi corporis faciem: animi atq;
ingenii dotes nihil conspici: ignorari virtutum exem-
pla penitus, & quicquid per illas eximium gestum fuit,
in quibus summa verissimaq; hominis gloria posita est.
Quæ omnia cum penecillo aut cælo in ære, marmore,
aliave materiâ, repræsentari haud possint; sed à de-
coris ingenii & eloquentia impetranda sint; multo
illustrius de viris ingentibus merentur illi, qui quibus
quisque excelluit rebus, & vitam suam insignem reddi-
dit ac claram, aut nobili atqve illustri carmine quodam,
aut eleganti ornataq; oratione exponunt. In illis enim
non os & oculi tantum, & universi corporis habitus pin-
gitur; sed ipsa animi pulchritudo, decoraq; virtutum,
advertere legentes, atq; in admirationem sui rapere pos-
sunt

sunt ac trahere : ut non ex unâ tantum parte, & vilio-
re illâ quidem; sed toti, & quicquid fuerint, quo viri
magni censei solent, spirare adhuc ac vivere videan-
tur. Quare cum Præstantissimus Juvenis **GEORGIUS
GREEN**, Holsatus, subjiceret animo, quibus quantisq;
per vitam virtutibus fulserit quondam, ac præminuerit;
quam laudem ac gloriam in administranda Republ. atq;
negotiis principum comparaverit sibi; quâ liberalitate
cum de aliis pluribus, tum de seipso & suis studiis meri-
tus semper sit, Generosus ac Nobilissimus Vir, **CHRIS-
TOPHORUS JOHANNES à BULAW**, Eqves Me-
cheloburgicus; rem dignam pietate suâ videbatur factu-
rus, si excitaret defuncti jam olim Mecænatis memori-
am, & parentali oratione vitam actusq; ejus proleqvere-
tur. In isto enim cum primis maximus beneficiorum
fructus positus est, ut bonis recordationibus hæc prose-
quantur illi, in quos collata fuerint & quantum in ipsis
positum, benefactorum suorum laudes in famam ac ce-
lebrationem hominum asferant. Quam Orationem
elaboratam domi **GREENIUS** cum sacris finitis postea
in aroaterio majori publico recitaturus sit; Vestrum e-
rit, **ACADEMICI CIVES**, dicenti frequentem dare
operam, & hunc prolixum in eo grati erga Patronum
optimum animi affectum, juvare attentione benevolâ
ac confirmare. Diserta politaq; hæc ejus oratio est :
quare non injucunda ingrataq; vobis auscultatio ejus ac-
cidet: eoq; plus habebit illecebræ; quòd non materiâ
tantum, sed dictionis etiam figura trahere posse ac dele-
ctare videatur. P. P. Dominica III. post Epiphaniâ anno
recuperatæ gratiæ M. DC. LVIII.

Fuit.

Συμ τῷ Θεῷ.

Rector Magnif, Spectatissimi Collegiorum Academicorum Decani, maxime Reverendi Theologi, Amplissimi Jcti, Experientissimi Medici, Excellentissimi, Clarissimi, Philosophi, & Philologi, Praeceptores Optimi, Patroni Maximi: Tuq, reliqua Concio, munerum Sanctimoniâ, functionum autoritate, doctrinae copiâ, Generis splendore, virtutumq, omnium luminibus illustris, inclyta, venerabilis, amanda & honoranda.

uit, inquam, gens quædam, quam fere alia supra non fuit, Clarorum Virorum facta, moresq, posteris quæ tradidisset studiosius, aut, ne cum corpore exstingveretur Illustrium nomen, egisset magis industriè. Romana hæc erat. Quoties enim virtus aliqua nobilis communia supergressa vitia, inertia dulcedinem, aut desidiam pectoris vicisset strenuè; quoties quis administrasset Provinciam cum curâ; animam posuisset in acie, aut stetit fortiter; in Legationibus obiisset diem; vel opibus, consiliis, viribusve juvisset Romanam rem; nec minus, si sapientia gloriâ inclamisset; inter Deos habebatur propemodum: aræ certè ponebantur illi, cælestes addicebantur religiones, vultus ex ære ducebantur faberrimè, exstruebantur monumenta magnifica cum titulis, qui decora mortui, ac laudes futuris seculis transmitterent. Hæc, præterquam quod incitamenta gloriae essent posteris, augebant quoq; Populi splendorem, & fortitudinem Civitatis declarabant. Quod si sponte sua Patres Romani defunctis non obtulissent honorem hunc, prohibebat in publicum aliquis, cui vel reverentia erga Patronum, vel affectus magnitudo hoc genus officii imposuisset, intercedebat voce & lachrymis (quæ magnos affectus concitari frequenter solent,) rogabat Senatum, precibus instabat: adescent Patroni memoria, imaginesq; huic statuas decernerent, qui gestas ab ipso res partasq; laudes ab oblivione atq; interitu vindicarent. Nec deerant fere, quæ de dictis eorum ac factis, quibusq; fulsissent virtutibus, aut carmine aliquo egregio, aut luculenta disertaq; oratione verba publice facerent. Hæc cum subjiceret sibi animus, reputabatq; pariter, quibus fortuna, ingeniiq; ac animi dotibus, quantisque in publicum meritis excellisset olim, CHRISTOPHORUS JOHANNES à BULAVV, splendore generis pariter, virtutumq; ingentium illustris ac clarus, non me abs re facturum putavi, de nobilissimo Viro, si ingrederer dicere, periclitarerq; adeò, an idem impetrare à vobis valeam, quod ævum Romanum easdem fungentibus partes, minimè denegabat. Grande me hercule; & ambiguum hoc est negotium, quod per imprudentiam sumsi: quodq; non nisi magno cuidam Germanorū Demostheni, aut Tullio diserte destinandum erat, in quibus autoritas pariter atq; amplitudo, ingenii quoq; perfecta gloria esset. Ego vero, nec ingenio valui unquã & maturâ, quæ autoritatem conciliat, destitutor ætate. Agnosco errorem equidem, sed seriori quam par erat pœnitentiâ, imposuit religio partes, quas implere non possum, nec dum ut deseram, autor est: Sentio usu venire mihi, quod è portu solventibus quandoq; solet, dum littora legunt commoventur minus, despiciunt pericula, & nescio quam pectoris confidentiam præ se ferunt: ast

A

Postquam

*Postquam altum tenuere rates, nec jam amplius ulla
 Apparent terra, Caelum undiq; & undiq; pontus*
 ruere magno cum murmure fluctus, & nimbos rapere diem cer-
 nunt; tunc refugit sanguis, trepidat animus, & membra metu ex al-
 bescunt: preces concipiunt, vota signant, si evadere liceat, solvenda:
 adeunt Nauclerum, ut relegat iter, etiam instant atq; etiam, & quid
 non, repetat portum, pollicentur, Mihi peræq;, AUDITORES Gra-
 visissimi, convenienda erit humanitas vestra, quod minore consilio,
 quam impetu, tentavi hoc dicendi æquor. Vestra ego fretus fide, atq;
 benevolentia, anchoram sustuli, permisi vela ventis; favore vestro
 non deserite in magna charybdi laborantem, sed benevolentia quã-
 dam quasi aurã velificate audenti; si elegantia styli non emeruero,
 professio tamen obsequii, & illustres BULLAVVI virtutes à Vobis
 impetrabunt.

Candidatum Vobis sisto, VIRI omnium ordinum honoratissi-
 mi, Candidatum, inquam, non Virtutis; hanc enim ab ipsis incuna-
 bulis sibi habuisse propriam, credite: neq; dignitatis cujusdam auræ
 popularis; utpote quem virtus sua evexit eò, supra quod pauci ascen-
 dunt. Majores ambimus honores, quorum non nisi ipsimet superi
 capaces sunt; aut qui probitate, vitæq; gloria, superis proximè acces-
 serunt, inter quos Heros noster deputandus maximè: æternitatem
 puta, famæq; nunquam intermoriguræ fructum. Dum autem divi-
 ni hujus animi dotes, virtutumq; ornamenta Vobis me explicaturum
 promisi, mox mihi ipso in limine ambigua est deliberatio, quid pri-
 mo, quidve secundo, ex tam uberrimo laudum proventu sit decer-
 pendum. Frugi dixisse, parum habebit laudis, quin injuria virtutum
 fuerit. Si quidem ad Orchestram, vel in campo Martio ad rogam,
 aut Cæsaris, Fabii, Cassive Romani decantare laudes, pietas jusisset,
 facile invenirem initium verborum, ad Herculem genus referrem,
 trecentosq; numerarem avos, pietas familiarum imagines, stantesq;
 in curribus ostenderem Æmilianos. Credebant namq; Romani, neq;
 falso credebant, haud imbellem feroces aquilas columbam proge-
 nerare: nec non in equis spectandam esse familiam, titulosq; avitos,
 uti olim ex Græcis Theognis, ex Latinis Horatius, atq; Papinius ceci-
 nere. Fallor ne? AUDITORES, an & apud Germanos fuit eadem gene-
 ris reverentia, idem imaginum honos? Sic, ex nobilitate Reges, Du-
 ces ex virtute sumebant, Tacito teste gravissimo. Nobiles solos di-
 gnos, quibus arcana sapientia, summaq; crederentur sacerdotia, ju-
 dicabant. Ex his prima quoq; constabat acies: non enim casus, nec
 fortuita conglobatio turmam, aut cuneum faciebat, sed familiae &
 propinquitates. Quare & Vobis seri, sed haud degeneres Germano-
 rum Nepotes, vobis pandendi erunt Herois nostri natales. Accipite
 Germanum, Germanum repeto. Hac enim nulla gens audit justior,
 nulla religiosior, nulla virtuosior: quam tamen non ex scripta, de
 nata lege didicerant, non ex præceptorum rivulis, sed ex ipsis Naturæ
 fontibus imbiberant, hauserant, ad quam non docti, ast facti; non
 instituti

*de morib.
 Germ.*

*Justinus ex
 Trogo lib. 2.
 Schedius de
 Diis Germa-
 nis c. 1. § 13.*

instituti, aut imbuti erant, & mirari non possunt autores qui tradi-
 dere Germanorum mores, Naturam dedisse illis, quod aliae gentes
 longa Sapientium doctrina, praeceptisque Philosophorum, (ita enim
 loquuntur) assequi nequiverunt. Senecam testor, qui Germanis nihil
 vidit animosius, nihil cursu acrius, nihil induratius ad omnem pa-
 tientiam. Quid adhuc ingenium fraudis nescium, quid animi can-
 dorem, quid Martium decus memorare juvabit? Larga equidem u-
 bique vitiorum est meslis & nihil crescit uberius vitiis; malignius pro-
 veniunt tamen in terra confragosa, atque aspera, quae Germanorum
 est. Intelligitis, AUDITORES? quae, & quanta expectanda Vobis
 sint de BULAVVI laudibus, quem Germania genuit, pariter atque e-
 ducavit. Pars illa Germaniae, quae hodie Megalopolis vocatur; quam
 olim per sexcentos fere annos tenuere Venedi, & Fenni, Graecis Heneti
 dicti. Non haec illa Gens est, quae Deos avos suos jactitabat, gene-
 risque fundatores; Tacitus *Wandalios* vocavit. Magna quidem nomi-
 nis affinitas, sed major morum diversitas; quantum Geta distat à Sy-
 ro, Germanus à Sarmata. Germanica *Wandalii* soboles, & ex Gothis
 oriunda propago. Incoluere primitus quicquid Oceano Baltico con-
 tinentis praetexitur, sed mox in Galliam, Hispaniam, atque Africam
 secedentes, Venedis & nomen reliquere, & domicilia. Qui populus ex
 Sarmatae regnis, Phrygiae conterminis venerat, Sarmatarum infestus
 moribus. Mira namque populi hujus erat foeditas, foeda paupertas,
 sola in sagittis spes, victui herba, vestitui pellis, cubili humus suffi-
 ciebat: nulli Penates, imbrem fronde, & aliquo ramorum nexu de-
 fendere; caeterum quicquid silvarum ac montium erigitur (incol-
 tior namque olim erat Germania, informis terris, atque arboribus hor-
 rida) pererrare. Accolas tum habuisse Venedos ipsos Saxones, testan-
 tur annales, populum inter Germanos nobilissimum, Marte poten-
 tem, sed arte feliciorum: uti vetus perhibet memoria, quieti secre-
 ti, nulla provocabant bella, ingens decus existimantes, magnitudi-
 nem suam justitiam tueri, & quod praecipuum virtutis argumentum,
 ut superiorem agas, non per injuriam assequi. Si quando tamen res
 exercitus postulabat, prompta omnibus arma, & commune victoriae
 desiderium. Venedi ingenio, & patientiam Saxonum ferociore, saepius
 latrocinis, raro felici successu infestant agros vicinos; donec tan-
 dem sub auspiciis Augustissimi Imperatoris, Ottonis, Saxonum vir-
 tute ad internecionem penitus delerentur, fortunis inter milites di-
 stributis. Non me hercule injuriam, quod injuriam inferendo, exitium
 accerferint ultrò. Haec fuere fata gentis Venedorum: pauci, & nisi
 quos testes voluere antiquae famae Saxones, supersunt. Sic Megalo-
 polis nostra iterum à Germanis habitari cepit: quo nomine eo ma-
 gis gratulandum ipsi, quod ab iis populis, quos nulla Germanorum
 gens excellentia rerum gestarum, opum, atque virtutum abundantiam
 supra fuit: Saxones indigito, qui & à se Saxonicum loco fecerunt no-
 men. Quam priscam patrum nobilitatem, virtutisque splendorem,
 necdum posteritas deperdidit. Intuemini Heroem nostrum, anti-

l. 1. de Ira c. 11.

*vid. Chytrai
Saxon. l. 1.*

*d. mor. Germ.
c. 2.*

*vide Wittic-
kindum.*

Anno
M.D.LXXXI
7. Sep. tembr.

Vixit circa
annum Chri-
sti M. CCCC.
XCIX. vid:
Chytr. Saxon
L. 5.

videat Seh-
mans Episc.
ersche Chytr.
nick. l. 2. c. 32.
33. seqq. & l.
4. c. 3.

Videat. Dit-
marscher
Seyde.

quæ gloriæ vivum exemplar: admiramini in illo Musarum gratiam,
decenti Martis gravitate temperatam. Qualem ipsi, (si quæ fides Na-
turæ scrutatoribus, uti certe maxima) adspiravit, indidit, atque impres-
sit, cum *Wedendorffii*, Patre *ADAMO*, Serenissimi Sverinensis Du-
cis *Marschallo* quondam aulico, & *Præfecto* in *Rhene* / ac *Witten-
borg* / matre vero *ELISABETHA* ab *Halberstadt* / splendidis natali-
bus ortâ fœmina, in lucem ederetur. Magna hic mihi nascitur di-
cendi materies, si in retro decursa secula ire, & quicquid fidi annales
custodiunt revolvere animus foret, qui veterem, & nobilissimam
BULAWORUM Coloniam, à longe summotis annis, ostentant. Ve-
rum, non ad ipsa gentis initia recurram, dum brevis esse studeo. *Di-
trichum* à *BULAW*. citabo, quem insignis pietas, virtutumque incon-
taminata laus ad Episcopalem eminentiam evexit. Redeant vobis in
memoriam, Patres Academici conscripti venerandi, antiqua tempo-
rum monumenta; qui quicquid à Veteribus elaboratum est perve-
stigastis sedulo, & nihil vobis eorum vel ignorantia negat, vel oblivio
subtraxit; reputate mecum, & dicite, an clarius atque magnificentius
quicquam olim fuerit prærogativâ Episcoporum. Par Principatus
culmini Episcopaliū infularum sublimitas erat: quid dixi? Et ipsi
Principes fasces submittere eorum auctoritati non erubuerunt; hisce
cura Imperii dividebatur, hi moribus corrigendis deligebantur. Sa-
pientiæ sanè opus est, & maximè prudentis, medicamentum delictis
ponere, animosque hominum, paratissimos vitiis, intra virtutum limi-
tes continere. Quod si fata Imperii Comitia, conventusque publicos
postulasent, Episcopi proximum capiti membrum sedebant, pri-
mique consilium ferebant in commune; Sic Franci non tantum con-
suevere, sed & Saxonum postea fuere religionis præcepta. Non me fi-
dem perditurum scio, *AUDITORES*, si Episcopatum omnis hono-
ris apicem, excepto Imperatorum fastigio, dixero; quo Principes
enituere, quo & nobilium, & ingenuorum multitudo adspiravere;
nec tamen eo contingere cuivis integrum erat. Principibus geniti
Viris, aut ex Heroum stemmate orti potuerunt, quique longo tempo-
rum tractu patriæ virtutis decus custodierant; cæteris tanquam no-
vis hominibus interclusus erat aditus. Argumenta ad hanc rem non
pauca, Oracula Imperatorum, decreta Principum eloquerer, nisi inter-
scientes proferre nota esset supervacaneum. Cognoscimus ex un-
gue Leonem, ex munere Virum, testis locupletissimus est hic *DI-
TRICUS*, quam antiquum *BULAWORUM* nomen, quanta ante
tot secula familiæ hujus reverentia fuerit, cum Præfulatum *Lebusæ*,
clarissimæ nobilitatis & Virtutum merito indeptus, *Ottonem* à *Kö-
nigsmarck*, Episcopum *Havelbergi*, consilio totius collegii denomi-
natus investiret. Sed & aliud nomen in vetustatis testimonium ad-
ducere *FRANCISCUM* à *BULAW* possum, bellatorem strenuum;
quem sub *FRIDERICO II* *Daniæ* Rege, & Ducibus *Holsatiæ*, stipen-
dia meruisse, cum prima castrorum rudimenta ante dudum appro-
basset, accepimus: quibus & insignem operam in pugna adversus
Dith-

Dithmarfos rebelles, (cito namq; subire imperium, cito excutere vicissim moris erat huic genti) navasse, historiarum monumenta perhibent

Expers terroris Achilles, Hostibus haud tergo, sed forti pectore notus.

Catullus.

adversum in pectore vulnus asseverat, quod ad Heidæ Oppidum, cum Dithmarfis secundo prælio fufis cruentam victoriam obtinuis-
sent, exceperat. Multa magna nomina hic tacitus præterire cogor, dum brevitati studeo, contentus solâ mentione HARDEVVICI à BULAVV, Serenissimi Ducis, Sverinensis Consiliarii. quem antepo-
nendum eo magis censeo FRANCISCO, quò vicinior vixit tempo-
ribus nostris, & literarum gloriâ abundavit maxime. Rediit namq;
Musis priscus honos, restituitur hodiè ingenuis artibus sua dignitas, quam Barbarorum armis ferociens, & non nisi sanguine ac cæde satu-
randa superbia abstulerat. De tot quidem hostibus victis statuise
trophæa, decus est plus quam decumanum homini nobili; majus ta-
men ornamentum interpretatur, ingenii strenuitate profligasse insci-
tiam. Et hæc causa, credo, erat, quod non contentus esset Equestri ordi-
ne Dionysius, Adriani Sarrapa, (*meminit Philostratus*) sed etiam in
Musæum Imperatoris, (erat autem Musæum mensa Ægyptia, quæ ex
omni terrarum orbe eloquentissimos convocabat) admitti optaret.
Comitatur Musas Hercules. Musarû auspiciis hostibus potior exstitit.
Sic militiam perficiunt literæ, magisq; consilii atq; ingenii est res, quâ
fortitudinis, aut virium opus, hostem debellare. Latius hæc essent de-
ducenda in gratiam malefactorum, qui Virtutem togatam nobili-
tatis decori afficere, aut sine mente, aut sine fronte, aut utrisq; perditis,
audent asserere; ut ab iniquis illorum morsibus nostri, quam lauda-
vimus, HARDEVVICI, admirabilis doctrinâ, virtutumq; concentu,
gloria vindicaretur. audiant Senecam sapienter pro more diseren-
tem: *Et si, inquit, magis refert nostra, fortiores fieri, quam doctiores, tamen alterum sine altero non fit. Non enim aliunde animo robur ve-
nit, quam a bonis artibus, quam a contemplatione naturæ.* Accepistis
AUDITORES, paterni nominis splendorem. jam si de maternis avis
commemorare ingrederer, proh Deum immortalem quanta expli-
canda esset historia? Tot Barones ex Molzanorum coloniâ citandi fo-
rent, neq; prætermittenda inelyta Pentzoruu familia; quæ gaudet
Comitum hodie prærogativâ. Sed nec annales componimus, & san-
ctius reverentiusq; sacro ea venerari silentio visum, quam ingenii
culpâ deterere. tum quoq; aliena hæc sunt, & tandem deveniendum
ad Heroem nostrum, CHRISTOPHORUM JOHANNEM, pro-
prio censu divitem, ac relegatâ fortunæ ambitione, virtutibus æsti-
mandum. Est quoddam pretium, è clara prodiisse pro sapiâ, est si-
mile nullitati numerorum arithmeti corum, quæ sola summam non
facit, reliquis vero sociata numeris, oppidò quam auget, atq; exten-
dit. Causam scrutaris? sæpius Heroum filii sunt *ονοι λυρας*, quibus
majorum gloria, postquam fastigium tenuit, non virtutis est incita-
mentum, sed negligentia irritamentum: ut vel majorum famæ ac-

vid. Piccarte
in observat:
Histor: Polit:
Decad. 7. c. 1.
& Dec. 17. c. 5.
Lohneisen
refert consi-
liū Statuum
Ostergotbo-
rum l. 1. aul.
Polit. c. 24. ex
Aventin. l. 3.
hist.

In Epistolâ
ad Pollionem

vid. Jano Hu-
artus Hisp. in
terprete Æ-
schacio Maj:
Dobreborana
c. 16. Scrutina
Ing.

B

qui

quiescant, vel, quod horrendum scelus, planè decoquant. Verum enim vero probavit abunde Hic Noster præclaram indolem, quam ex tam generoso sanguine traxerat, & sat illustribus docuit documentis, non decivisse à veteri illâ gloriâ. Educatus est in sinu atq; indulgentiâ matris; ubi & Parentes (fecere officium, & admoti semper fideles magistri, probatis spectatisq; moribus, qui teneram ætatem & literarum rudimentis imbuerent, & ad virtutem gnaviter ituro facerent viam. Magni refert, quibusnam primi delegentur erudiendi anni, & tenera polienda indoles concedatur; facile aut Idesidiâ Juvētutis, aut negligentia Parentum, aut inscitia præcipientium corrumpuntur excellentissima ingenia. Quid dicam? Si parvulorum curæ aut Græcula quædam ancilla, aut servus aliquis vilissimus, Davus, vel Geta (raro quippe frugi Servulorum ingenia, versuti ac fallaces arreput Dominis) adjungatur: qui parum pensi habent, quid coram infante domino loquantur, aut faciant: fabulas narrant, dictitant errores, quibus molles animos nequitia aut lascivia adsvefaciunt: agrè autem deponit animus habitum, quem in incunabulis induerit, & ætas prima post voluptatis tincturam virtutis colorem difficulter imbibit. Adeò magnum ad absolvendos mores momentū habet, à teneris litasse virtutibus, neq; caruisse, qui vitam & studia adornare sapienter didicerunt. Noverant hoc sapientissimi BULAWI parentes, igitur id impense operam dedere, ut natura filioli integra, & nullis pravitatibus detorta inter tot innocentia quotidia exempla adolesceret; Sapientissimos elegere, quorum præceptis animum suum componeret, coram quibus nihil eorum dicere fas erat, quæ turpia dictu; nihil facere, quæ inhonesta factu essent. Sic pueritiam per omnem virtutis, & honestarum artium cultum, in ore parentum, transegit. Annos vix ingressus erat primos adolescentia, cum vitæ aulicæ destinaretur. Sverinum igitur misus est, ut ea erudiretur, quæ corpus maximè exercent, agilitatemq; conciliant, atq; vigorem. Per rarum, magnumq; est robustioris ætatis hominibus, inter tot peccantium illecebras (quibus refertæ plerumq; sunt aulae Principum) non perdere virtutem, sed illibatum, sed incontaminatum animum custodire; inopinato quoniam arreput mortalibus vitia, & aspernanti quoq; sapius æger vicinus morbum tradit. quam laudis gloriam igitur adolescentulis addet? Mirum in modum lubrica est hæc ætatis pars, in vitium flecti cerea, voluptatibus indulget, quæ ipsa quasi natura profundit. Sed nihil horum in BULAWO, æque facilem fanitatis ipsi custodiam esse probabat, nunc cum agris misceretur, quam cum inter salubria degisset: non vertere licentiam, custode remoto, in lasciviam, segnis ad voluptates, difficilis ad vitia. verum id gnaviter operam dare, ut statim toto pectore arriperet artes optimas, & honesta corporis exercitia. Ridebat ille quidem operam, quæ corpori impenditur, turpe existimans sapienti, cum habeat animam, captare laudes ex corpore. Sed vestram appello fidem, AUDITORES, fallere illos, & vehementer fallere, corpori qui gloriæ materiam de-

Amianus
Marcellinus
lib. 25. c. 10.

detrahunt. Rectius equidem, existimo, ingenii quamvirium o-
 pibus, gloria quaritur, turpius tamen sine corpore ingenium,
 corpus sine animo; alterum athletarum cum sit, inertium alterum,
 exercetur. Omnis mortalium vis in corpore pariter, atq; animo
 est sita; quorum hoc cum caelestibus, illud cum belluis habe-
 mus commune, quid pulchrius? quam ut corporis etiam virtute
 caeteris animantibus praestare possis, summam niti ope. Sane didicisse
 fideliter sagittis, uti, ensem perire rotare, mittere scite jaculum, Equos
 domare, iisdemq; celeriter undiquaq; insilire, ac eadem desilire arte,
 per aperta aequoris spatia agere, ac simili peritiâ in gyrum redire, in-
 festos hastarum ictus erudito corporis declinare motu; hæc in pace
 decus, in bello praesidium, robur lacertis, fortitudinem animis addunt.
*Raro equidem animos ad arma subito erigunt, nisi qui se ad ipsa ido-
 neos praemisâ exercitatione confidunt.* hisce exercenda est nobilium
 juvenile robur, potissima & fida Reipublicæ salus, ut à pueris milita-
 res labores consuetos habeant, & magistrâ consuetudine, discant ex
 natura agere fortiter. Sed redeundum ad id, unde digressa erat ora-
 tio. Septimum decimum exceserat nondum annum, cum Argen-
 toratum, defuncto Parente, ablegaretur à matre, ut ibi studia sua pro-
 moveret in majus. Haud dici potest breviter, & sine aliquo detri-
 mento laudum; quâ curiosâ felicitate omne literarum & artium ge-
 nus pertractarit Ille, quanta sedulitate, quanta ingenii, atq; nervorum
 contentione incubuerit in eam sapientiæ partem, quæ solidam ma-
 sculamq; eruditionem induit animo. Mirabili loquelarum varietate,
 tanquam viatico, & necessario ad Virtutum Capitolia festinanti subsi-
 dio, instruxerat mentem, cum Philosophorum præceptis se se appli-
 cuit; non ut vanissimis umbraticæ turbæ subtilitatibus operam in-
 sumeret atq; oleum, sed ad severiores Musas aditum aperiret sibi, mox
 Juri vacaturus. Tranquillos, Tacitos, nocturna pariter ac diurna vol-
 vebat manu, & quoscunq; fidos annalium conditores, quæ sacros, quæ
 profanos. Ita quicquid à mundi ortu historiarum erat composi-
 tum, id omne, tanquam ex Oraculo, ex ejus mente hauriri poterat.
 Hoc studium, hic labor, præterquam, quod multum, voluptatis af-
 ferat comparantibus veterum & præsentium temporum similitudi-
 nem, etiam initium haud minimum prudentiæ facit; Cum secula
 & personæ in rebus humanis tantum intereant, causæ & eventa rever-
 tantur perpetuo. Aliud occurrit, AUDITORES, nequaquam dissi-
 mulandum: Sancivere prudentissimi Majorum mores, ut Juvenis, qui
 foro & Reipubl. parabatur, positus domo tyrociniis, à Patre, vel pro-
 pinquis duceretur ad eum Oratorem, qui principem in civitate lo-
 cum tenebat, hunc sectari, hunc prosequi, hujus omnibus dictioni-
 bus interesse oportebat, seu in judiciis, seu concionibus versaretur.
 Quid hoc instituto sapientius? quid fructuosius? si cum animo æsti-
 mes, quantum constantiæ, quantum judicii, quantum præsidii, ad
 muniendam virtutis arcem, contingat ex sapientum consuetudine.
 Putans atq; reputans rectè hæc noster, studia sua maxime sapiencis-
 simis,

*vid. Richelieu
 Christlicher
 Politic p.m.
 42. Gumpel-
 haimer de ex-
 ercitiis Acad.*

*Cassiod. l. 1.
 Var: Ep. 40.*

*An. M.D.XC.
 VIII.*

*vid. Tacitus
 dialogo de
 Orat. c. 34.*

simis, atq; summis Reipublicæ literariæ Principibus, quos Argentoratum fovebat tum, probare studuit (& facilis apud cordatos laudem invenire, ob virtuosam indolem, cura erat) hos audire, tum subtiliter de jure atq; legibus disputantes, tum dicentes commodè, ab horum latere, nisi profecisset, nunquam recedere. adjungebat mutos illos magistros, quos appellabat fidissimos Consiliarios, optimus Regum Alphonsus, libros puta, ab Arumæis, à Godofredis & aliis editos, qui pro Oraculis Jurisprudentiæ haberi solent. Sic assecutus est brevi, dum ita conficit spatia, ut quemadmodum in tam florentissimo studiosorum cætu, nemini generis splendore posterior, omnium ipse haberetur facilè eruditissimus, & esset. Unicum deerat adhuc, quod prudentiæ parandæ, & vitæ disciplinæ instruendæ, paginam quendam facere videretur: exteris sc. visere terras, & mores, & instituta cultiorum gentium, cum curâ inspicere. Agitanti secum, cuinam se crederet regioni, Gallia placuit. Pars illa Europæ felicissima, s. salubritatem cœli, sive fertilitatem soli spectes, s. ingenii & sensuum celeritatem, quam natura incolis largita, tecum ponderes. Et peragravit feliciter omne hoc, quod à saltu Pyrenæo, Alpibusq; ipso Oceano, & mari Britannico continetur; à Germanis Rheni fluvio, ac mutuo metu dividitur: Non otiosè, atq; vagabundus, avium instar, quæ citius quam venerant abeunt, sed sedulæ apis modo, multa degustans, non vero nisi salubria in usum trahens. Noscere Provinciam, formæq; statum, nosci optimis, discere à peritis, versari inter sapientiæ autores; hæc curæ, hæc voluptati erant præcipuè. Rerum potiebatur tunc Henricus IV. in Galliâ, nec dum satis vires provincia receperat, fessa civilibus discordiis. Concurrerant non ita pridem infestis armis ipse Regni Monarcha, HENRICUS III, Navarrae Rex, & Princeps Guisus; ille ut regiû custodiret decus, hic ut eriperet, alter ut confunderet ultioni regiæ, certus, hujus cladem nec non exitium parare sibi. Non miratus Heros noster seditiosos hosce tumultus, insolens quoddam ac si Galliæ incolis contigisset ruminans tempora FRANCISCI II. sed ad vivum scrutari vulnus, & semina civilis latrocinii investigare, occupabat. Et sine curâ, cum calculum poneret, feralem hanc facem belli, non nisi veterem & pridem instam mortalibus potentia cupidine animadvertibat accendisse. Simulq; excutiebat, quanto esse damno soleat, foeminas in imperii consortium admittere. Quod vitium in HENRICO III. notabat; de quo idem solebat dicere, quod Tacitus de Galbâ: *Major privato visus, dum privatus fuit, & omnium consensu capax imperii, nisi imperasset.* Postquam enim admotus erat regno, nullâ curâ incolumitatem Reipublicæ habuit, quam nondum elaborare satis, morte præventus, Frater potuerat: belli deposuit studia, otio, & corporis mollitie primò invisa, totus degener, atq; ipsâ corruptior foeminâ; cum privatus magnam salutis publicæ spem promittere, an mentiri rectius dixerit, videretur. Adeo verum est: *Excitari quosdam ad meliora magnitudine rerum, hebescere alios; Et Imperia evertere citius vitia imperantium,*

*conferatur
 quoq; Duc. de
 Rohan in
 tratina sta-
 tuum Europ.
 part. 2. disc. 1.*

*lib. 1. histor.
 cap. 49.*

perantium, quam hostium impetus. Observabat etiam, & solli-
cité notabat Regiæ matris callidum, & haud populare confi-
lium. Quæ cum totâ imperium mente devorasset, at vero le-
ges patriæ, sexum discriminantes obstarent; concupiscere qui-
dem, sperare fasces non potuit. at ne voto caderet, summa imis
miscere, & vix sepultas resuscitare lites, tentabat: & facile conci-
piunt flammam quæ modo extinctæ sunt faces. Sic autem Gallia-
rum Indoli accommodaverat consilium, ut partes simularet
atque amicitiam filii, humillimis blanditiis odia obvelans; In-
terim vero proximum à Rege ita devincire sibi, omnibus quasi
vinculis obstringere, quo obsequentem haberet, operam daret
gnaviter. Spem successionis ostendere, potentia majus sem-
per ac majus incrementum addere, quandoque pro re natâ eleva-
re, quo Rex operam matris ad restingvendam æmuli ambitio-
nem compellare teneretur. Astutum, & callidum consilium,
sed impium, sed apprime perniciosum. Non equidem defu-
isset successus, nisi Guisum Principem dominationi subsidium
admovisset, spreto Navarra Rege: non quod tantæ moli impa-
rem censuisset, verum ob privata quædam odia, & quod Hu-
gonottorum patrocinium (risum teneatis amici, si festivam
nominis originationem suggerit memoria) susceperat. Dux enim
Guisus, cernens patriam factionibus redundantem, copias con-
scribere, & parare obscuris arma artibus cepit, quæ primo in-
ferret Regi Navarra, mox versis iisdem in ipsa Patriæ viscera, &
jugulum Parentis, excusâ omni Imperii reverentiâ. Prosperâ
initio utebatur fortunâ, gliscente, uti asolet, temeritate, sed mox
mutatâ, (uti raro firma, tumultuario quæ composita sunt opere)
& fortuna simul & imperio exutus à Navarra Rege HENRI-
CO IV. est. Cui cedit regnum tum virtute bellicâ, tum valido
legum Patriarum auxilio, nec non, quod post fortunam credi-
tum est, occulta lege fati; & quod fingere animum didicisset.
Volvebat hæc intra semetipsum Hic Noster, dum infeliciam
Gallarum calcaret ruinas, neque tantum, sed etiam; nullum in-
cendii civilis esse remedium quam ruinam Victoris, observabat.
Conferebat huc Taciti Oraculum: *Imperii haud perinde firma
esse munimenta legionem classesve, quam numerum liberorum,
& si sit successor in certo.* Superfedisit autem curæ huic puta-
bat Henricum III, tam quod mortales solem adorare orientem
intellexisset, deserere occidentem haud raro; tum quod nul-
lum præsentius fortunæ suæ remedium inveniret, quam de tot
Regni æmulis sustinere iudicium, & nullum nuncupare, præser-
tim ob odia in Navarra Regem, religionis infensum nomine.
Credite mihi, AUDITORES, & dixisse BULAVVUM, memo-
ria teneo: Nunquam fidele sicut firmum erit Imperii corpus,
quod ex diversæ religionis membris coaluit. Exemplo sit Ger-
mania fortuna: non sæpe religionem solam mutavere Luthe-
ranorum

confer. quod
acta Cardine
Mazarin. 6.
15. 13.

confer. Anti-
Machiav. de
Politiâ lib. 3.
theor. 30.
conf. Duc. de
Rohan. l. cit.
part. 1. disc. 1.
Tacitus de
mor. Ger. c. 33

vid. Curtius
l. 5. in fine.

vid. Trajani
Bocalini Par
nasus Polit.
Cent. 1. Re-
lat. 5.

ranorum olores, quoties mota est sacra hæc anchora, toties fluctuavit simul Reipublicæ navis. Neq; ullum quicquam in Galliâ majores dedit turbas, atq; religionum discordia, aut felicitus Hispanis contingere potuit seditionis in Galliâ instrumentum, quam Hugonottorum nomen; Discordant Galli æternum cum Hispanis, & commune semper contra Gallos cum Tacito votum est: *Maneat quæso duretq; gentibus, si non amor nostri, at certe odium sui.* Longum foret, si recensere omnia vellem quæ prudenter notavit sibi BULAVIUS. Unicum adhuc tanto Heroe dignum memorare festino. Alexandrum M. flevisse largiter accepimus, cum hostem Darium multis vulneribus confossum, & à propriis militibus conspexisset. Qua indignatione animi, quibusve lachrymis existimatis, AUDITORES, repetiisse animo Heroem nostrum Regis Galliæ mortem, tanto fastigio indignam, cum Lutetiis Parisiorum ageret, ubi Monarcha irreligiosissimi monachi, Guisii partibus addicti, scelestâ manu occubuit. Confecto sic itinere Gallico, prudenter successit Italicum. Siquidem ardebat generosus animus, visere illam quoq; terram, quæ omnium terrarum alumna quondam, atq; mater, quæ prima ante Imperii sedes ad Germanos quam devolveretur, & Græcos rerum summa. Illam inquam terram, quæ tot exterarum gentium effrenatæ barbariæ humanitatē injecerat, vitæq; dicitaverat præcepta; quæ & ipsi Græciæ, Parenti hæctenus omnium elegantiarum, laudem præripere videtur: sedula artium nutrix, & magistra omnium doctrinarum. Ingressus est hoc iter pari prudentia, neq; dispari successu explicuit. quo promptiorem cerneret peccantibus provinciam, eo rigidioribus animum legibus adstringebat, & quæ veteris Romanæ majestatis rudera, & quæ hodiernæ supellectilis ornamenta fideliter consignans, si quid in moribus esset decorû, in institutis frugiferum, religioni, exemplo atq; usui non seposuisse, ducebat; excutiens ad singula magni Romani monumenta annales; erat enim versatissimus in antiquitate. Nec imperare potuit animo, quin Venetias excurreret, munitissimum illud Christiani orbis præsidium, Naturæ miraculum, ditissimam exemplis urbem, atq; unicum totius Mundi theatrum. Tam ut ædificiorum superbiam, divitiarum affluentiam, & invictissimum belli robur miraretur, quam universum ut orbem, moresq; omnium gentium ibi quasi spectaret in scenâ; disceretq; quibus adminiculis ad tantam summam Venetorum crevisset potentia, quibus adversus tot hostium impetus valida, infractaq; steteret hæctenus: Naturæne industriâ? mirabilis siquidem situ hæc urbs, & in ipsis maris Adriatici faucibus posita; An Rectorum, senatusve prudentiâ? hunc namq; Reipublicæ imposuere autores statum, ut consilium penes virtuosos esset, ac prudentissimos: Seu potius, num parentium fidâ observantia? Amica hæc sunt
autorum

autorum certamina. Idem namq; omnibus studium libertatis, mutuis plebis atq; nobilium (quod rarum in Aristocratia) amor, dum se invicem non anteponunt, nisi quando conveniunt, ac judicia severitatem, ac decentem quandam exigunt superbiam: quam tamen ubi officio satisfactum mox exuunt, & ne nimia felicitate corrumpantur severis cautum est legibus. Fuit BULAVVUS horum omnium observator non tantum peritus, sed & annotator industrius. Intelligitis mecum Commilitones charissimi, quo nos modo, si quando peregrinandi incenserit cupido, tot vitiorum invitamenta, tot voluptatum scyllas sine naufragio innocentes præterire queamus; puta, juxta Catulli præceptum, mentem aliò, aliò aures dividendo. Sic noxiam Sirenium svavitatem elapsus prudens ille Ithacus est feliciter; Sic Veterum peregrinari sunt Sapientes: Sic comite virtute Aeneas, quod aureo ramo inculcavit Virgilius, ex Orco remeavit. Imitemur igitur! Imitemur quondam! ne corporum solum ornamenta, sed & animorum imprimis suppellectilem domum referamus. Tandem cum repetere Patriam instituisset Ulysses noster, Hamburgum appulit, Stormariae, in qua regione sita est urbs, non ignobile ornamentum. Parabantur tempestate eâ Hamburgi homagiorum solemnia CHRISTIANO IV, & JOHANNI ADOLPHO, Holsatiae atq; Stormariae Ducibus, felicissimæ memoriæ, præstanda: quibus dictus erat mensis Octobris Anno supra mille atq; sexcentos tertio. Frequens undiq; spectatorum concursus, & quisq; hominum eò advolabat. Placuit BULAVVO quoq; morari abitum, ut, quibus pactis lites, inter Celsissimos Principes & Civitatem hanc agitatae dudum, compositæ fuerint spectaret, quæve clientela lege, atq; fidem, stipularetur Ducibus Civitas. Celare equidem reditum, & fallere ignotus studuit BULAVVUS; Verum occultare tantarum virtutum jubar erat impossibile. Erupere in famam atq; laudem, prodidere in conversationibus ultro se se illustres generosæ mentis dotes; Judicii promptitudo, pariter atq; gravitas, consilii copia; nec infinitarum rerum scientia premi poterat. Hinc totus mox BULAVVUS in ore omnium, & ubiq; materia sermonum fuit: Sic plenis quasi velis ferebatur rumor ejus per urbem, ut & inter Principes ipsos nunciaretur. Præsens Hamburgi sacris hisce erat, præter cæteros, JOHANNES FRIDERICUS, ArchiEpiscopus quondam Bremensis, Episcopus Lubecæ, Hæres Norvegiæ, Dux Schlesvigæ, Holsatiae, Stormariae ac Dithmarsiae: qui sicuti post obitum Prudentissimus audit, ita in vitâ Sapientes cordi atq; in deliciis perhibetur habuisse. Acceperat Princeps Optimus secundum BULAVVI rumorem, & flagrantissimum in absentem simul amorem conceperat; impensior multò tamen affectus, ubi propriis coram experimentis veritatem famæ com-

A.M.DC.VI

perisset. Non enim decipere semper solet fama, eligit quandoque. Destinavit consilio aulico mox BULAVVUM, decrevitque cubili Archiepiscopali præficere: Virtutumne BULAVVI, an propriæ prudentiæ magis testimonio, incertum mihi. Si sedulo dixit Poeta, uti dixisse fertur.

Principibus placuisse viris non ultima laus est.
quam plenis deprædicaturum buccis BVLAVVI laudes censeatis AUDITORES? Si à tam Prudentissimo Principe non tantum amari, sed & in consilium admitti; neque hoc satis erat, ad divini corporis curam, primis eundem sermonibus meruisse, acciperet. Præcipua omnium hæc est dignitas, quæ non nisi probis, ac conspectæ fidei hominibus soleat destinari. Quando enim à Principis incolumitate atque fortuna omnis descendat Subditorum felicitas, vita trahatur atque valetudo: Et vero vitæ necisque quasi traditur arbitrium, cui corpus & vita Principis committitur, longo rerum usu explorata prius fides sit, quam credat ministro sese vitamque suam Princeps. Subito autem licet, & ignoto hæctenus, iniecisset manum JOHANNES FRIDERICUS, ne tamen facti daret poenas, insignis BULAVVI fecit pietas, relligiosa erga majestates reverentia; quas cum divina mens primis congressibus animadvertisset, ne affligere poenitentia quidem potuit animum. Quid dicam AUDITORES? Eademne omnibus sunt principia? non crederem, quantum mihi hic datur cernere, ni gravissimorum Virorum esset sententia. Inest divinius quid, cœlestiusque præ cæteris rerum Dominis, & vel contingere ex meliori luto præcordia; vel nobiliorem sui partem divina inspiravit aura: Ita metri animos solent hominum, ut nec imponere sub virtutis habitu malignorum vitia ipsis, nec fallere eosdem possint bonorum virtutes. Sed relegendum est iter mihi, & dicendum quomodo inter hæc geserit sese BULAVVIS. Amplectebatur divinum Principis affectum magnâ animi reverentiâ, provinciam autem oblatam modestè initio deprecabatur; non Tiberii vitio, qui recusantis specie appetebat flagrantissimè. Aversabatur mimica hæc atque procul habebat generosa mens: sed quod Virtus animum velleret, quæ semper modestè de se atque tenuiter sentire fecerat. Mirari solemus in campis fluctuantes aristas, quæ dum in herbis latent, aut prodire modo, in sublime tendunt, & quanto uberiores pollicentur messem, tanto assurgere altius contendunt. Ast ubi supra eminent, demittunt vicissim caput, & ad humum reclinant. Est & hæc virtuosorum indoles, altiora semper mente concipiunt, altissima sectantur; norunt enim *contemptu fama virtutes contemni* quoque: intelligunt, nullum acrius calcar ad virtutem festinantibus subdi, quam gloriæ stimulum. Ea tamen flagrantissimum laudis affectum moderantur prudentiam, ut nec degenerare in ambitionem finant, & quanto plus adverti sentiunt

Tacitus An-
nal. 4. 38.

VIRTUS

virtutum suarum jubat, tanto laborent magis occultare. Habuit & BULAVVUS vitam similiter, famam quaerendo sordidi effugiebat notam, quaesitam sibi non tribuendo, quod extra arrogantiam esset, dabat argumentum. Tandem vero, cum instaret Princeps, suscepit; ne supercilium interpretaretur, declinatam partes: sed trepide & cunctanter; exornaturus tamen pro virili. Siquidem nihil quam optimi Consilarii munus implere, peraeque dedit operam. Frequentare assidue curiam, neq; deesse unquam consiliis, afferre animum vigentem, recti pervicacem, intentum, & pecuniam, quae per sordes veniret, contemptorem, deponere in limine privatas similtates, (si quae in tanto VIRO reperiri poterant) quod in Venetorum Curiam viderat, in Curialibus observaverat, attendere bonum publicum, nunquam spectare suam utilitatem *pesimum humani affectus venenum*, non nisi praemeditata, & quae antea secum cum cura peregerat, proferre, contradicere modestè, consilii tamen amicus magis, cujus ipse auctor non exstitisset; *id quod non nisi cordati solent, vel oppidò boni*: monere Principem, non decernere; svadere, juvare, docere neutiquam. Coeterum nec in cubiculo Principis quicquam praetermisit officii, sive curandae admisiones, seu ministrandum ipsi esset. Quibus rebus ita obstrinxit sibi Principis animum, ut ubicunq; esset, atque vel domi ageret, vel peregre, supremum semper consilii comitem BULAVVUM, itinerumq; ducem haberet perpetuum. Quanto ergo valere in plura BULAVVI ingenium intelligeret, hoc pluribus eum partibus admovit. Tertio enim anno, ex quo in aulam venerat, stabuli Magistrum fecit: & cum laboretur annus sextus, praefecturae Trembsbuttanae Administratorem constituit; & mox contermina eidem, Steinhörstensis, in curarum partem accessit. Magistratus arguit virum, & mores aperit fortuna proprios (lippis hoc notum est, nec tonsores nesciunt) non enim fingere tum amplius sustinet animus, remoto metu, saepius etiam pudore; cum peccandi licentiam honorum metiri amplitudine non pauci incipiant, & quicquid partum erat olim benignae aestimationis, id perdant nequiter. Verum testor sanctissimos Principis manes, convenio omnium fidem, quibus rectè cognitus fuit BULAVVUS, nihil mutasse in eo fortunam; Prior mansit animus, aequi boniq; amor, nec virtutis deposuit studium, ita ut vel coram Principe, vel absente eodem ageret semper ex virtute. In jure dicendo sic versabatur, ut nec novum introduceret callidè, quod Tiberius solebat, & ita temperaret aequitate vetus, ne quod summum jus, summa fieret injuria. In parvis peccatis quandoq; poenitentiam contentus erat, magnis severitatem commendabat, nullis faciens gratiam: Bonus pariter atq; justus, bonus sine personarum odio, justus, cum nec flecteretur gratiam, nec largitionibus corrumpere-

*vid. Camerari
subciso. op.
cent. 1. c. 33.*

A.M.DC.IX

A.M.DC.XI

D

nihil

nihil agere quod non expediret in publicum, aut commodum Principis vergeret. Non imputabis, Magne Heros, quod de hisce omnibus in transcurso quasi dicere necessum habeam, vix enim sic celeritatem succedentium honorum orationis velocitas adæqvabit. Paucis siquidem interpositis mensibus, ex quo Præfecturarum Administrator audires, Bremæ in Canonicorū Consilium adscitus, Provinciaq; Wurstenis, ut & Cœnobii in Palæogea, vetus quod vocant, designatus es Præsul. Hoc cœne certissimum Pietatis est argumentum? Quis hic non intelligit rarissimas nobilissimi ingenii tui dotes? nunquam Tibi tot gravissimæ demandatæ fuissent curæ, injunctæ honoratissimæ provinciæ, aut Tu tantâ felicitatis laude exornasles spartam; præsertim convulso totius Germaniæ statu, strepentes undiq; armis, eversa, & tantum non conclamatâ vicinorum Principum salute, ubi difficillimum tenere statum, nisi omnis rerum earum copia, quæ prudentissimi atq; fidissimi Magistratus absolvunt partes, ubertim affuisent. Magna dixi, atq; egregia, AUDITORES, & quæ sola ad circumdandam ei præcellentem famam, abundè essent. Sed nondum omnia dixi, ampliora longè, atq; multò majora in eo genere commemoranda de BULAWO memoriæ incidunt. Iter fecerat Francofurtum ad Moenum Princeps, JOHANNES FRIDERICUS, fecerat, atq; confecerat, comite BULAWO, & cum redire instituisset, gravi correptus est atq; vehementi morbo in viâ. Vix suppetunt verba, quibus BULAWO in Principem affectum explicare queam, quàm sedulò ministrabat valetudini! assidebat decumbenti, fovebat deficientem, observabat laborantis momenta industriè, & prout intendebat ægritudo, remittebatve decrementum angoris, atq; incrementum in pectore sentiebat. Precabatur de annis suis augmentum vitæ Domino, proq; salute ejus vitam suam devovebat; non quod juxta ac cum Ethnicis expiari fata Principis illustri aliquâ cæde, vel in capita Procerum depelli malum posse, opinaretur; animus æstuans vehementiâ affectus, & valetudine Domini sollicitus sua in sede consistere non valebat, quin foras prorumperet, pietatemq; testaretur. Sed frustra tentata omnia, flecti non poterant supremæ Mentis consulta, (uti raro, quæ fato manet, dies evitatur,) solvendum erat novissimum Naturæ debitum, atq; constanti libentiq; animo excepit fatum Principum Illustrissimus. Heu quantus tum mœror intravit BULAVVI pectora, quantus angor insinuavit sese præcordiis: Non pepercisset lacrumis nisi muliebris flere esset moris: Inhærebat amplexibus deficientis, legebat supremum oris spiritum; neq; satiare poterat animus mœrentis vultu, atq; aspectu novissimo. Augerebat mœstitiâ, novaq; dolori fomenta addebat, cum Patriam intueretur, cum subditis Parentem, Reipublicæ animam esse

A.M.DC.XI.

Anno MDC.
XXXIV.

vid. Sveton:
passim Tit.
Sat. 12. Cæsâr.
de Gallis l. 6.

esse ereptam subjiceret sibi. Levare equidem mœrorem, do-
 lorem non tollere visum, quod supremis sermonibus licuerit
 interfuisse, excepisse mandata ultima, oculos clausisse, multum
 quoque sollicitudinis pro Patria ademptum in eo, atque curæ fuit,
 quod Serenissimum Holsatiæ atque Schlesvigiæ Ducem FRIDE-
 RICUM, & verè Fridericum, Dominum meum Clementissi-
 mum, in iis Provinciis, quibus præerat, successurum recordare-
 tur. Cujus magnæ atque divinæ animi virtutes (verè enim, ob
 felicitatē summam AUGUSTUM, ob pietatem CONSTAN-
 TINUM vel CAROLUM M. ob pacis studium ANTONI-
 UM, ob Justitiam insignem nostri ævi JUSTINIANVM vo-
 care licet) signum ostentabant ad bene sperandum. Sed leni-
 menta hæc erant, non medicamenta doloris. O ter felices re-
 rum Domini, stipati tantæ pietatis ministris! O quater beatum
 & amplius Imperii corpus, quod tanto partium consensu alitur,
 affectuque parili membrorum erga caput sustentatur. Nunc
 deveniendum mihi est ad tempora Augustissimi Principis, FRI-
 DERICI Holsatiæ, atque explicandum, quæ egerit sub auspiciis
 Hujus sapienter, quæ exercuerit prudenter BULAVVUS. Neque
 enim prisca tantum dignitates servavit ipsi Princeps, sed &
 novis donavit honorum augmentis; ut quid inter arma vale-
 ret animus, compertum redderet. Proximè siquidem delapsis
 annis, cum inter domesticas Germaniæ seditiones, bellorumque
 incendia, quæ tam multo populorum sanguine, tot urbium, ac
 provinciarum excidio restingvi vix poterant, funesta sedes ar-
 morum Svecicorum Holsatiæ atque Daniæ inferretur: & verò af-
 flicta vehementer Patriæ fortuna peritissimum desideraret mo-
 deratorem; accersita fuit BULAVVI opera, ut Reipublicæ fa-
 ceret medicinam, atque delegatus ab omnibus Commisarius
 Belli Generalis (ut verbo utar militari) quasi solus inter omnes
 tanti laboris atque fidei esset capacissimus. Neque fugiebat sa-
 pientissimæ mentis Principem, Consiliique Autores; *Magnis ne-*
gotiis, ut magnis Comœdiis, edecumatos apponi debere autores, (si
uti Symmachi verbis integrum mihi est) nec idem honoris pu-
blico Pollioni in pronunciandis fabulis, quod Ambivio fuisse, neque
similem Æsopo & Roscio famam processisse. Quam piget me
 valde, AUDITORES, promissæ brevitatis fidei, nec leviter ira-
 scor infantia meæ atque ingenii sterilitati, quæ tam jejune & bre-
 viter de iis dicam, faciunt, quæ commentario videntur indigere.
 Quantâ constantiâ tenuerit clavum, quâ rexerit sapientiâ na-
 vem, quave prudentia vitaverit securitatis publicæ scopulos,
 atque ex omni tempestate salvam servaverit. Tenetis mores &
 disciplinam militiæ, AUDITORES, & non potestis ignorare,
 quam præceps armorum sit furor, atque indomita militum licen-
 tia; evertere arva, vastare segetem in culmo, corrumpere in-
 cendio domos, sternere, fundere, jugulare incolas, omnia de-
 niq;

Anno M.DC.
XXXIV.

ll. 10. Ep. 30.

vid. Strada
de bello Belgico
lib. 2.

niq; deripere nequiter, atq; pectus dare, nulla religio, quin
gloriae ducatur. Ast avertit feliciter BULAVVUS militarem
hanc insolentiam, ignem tectis, ensem cervicibus populi, ruinas
arcuit Patriae. Transiere per provincias diversae exercituum co-
piae sine tali maleficio, non ad hostium, sed foederatorum instar,
nec armatorum, sed togatorum quasi modo. Non vero ferro
tuebatur Patriam, aut arma armis repulit; nunquam hoc publi-
cae rei consultum habuit, nova credebatur irarum irritamenta.
Imitatus Medicorum consilia, qui primo leniorem aegritudini
medicinam addunt, postremo instant acrioribus medicamen-
tis: quod longe majori praecipitantia, ruinaq; excurrant ple-
rumq; bellorum flammam, quam impulere autores; nec ad-
ibus ignem injicere, & injecto spatium, modumq; statuere, in
ejusdem sit manu. Consiliis profligavit militum ferociam, &
quod praestantissimum victoriae genus, svadendo BVLA^WVS
hostium vicit pervicaciam. Ferte citi quercum Concives, civi-
cas contexite corollas, imponite, cingite, ornatè tempora BV-
LA^WI, qui cives ex bello servavit, pictas affigite publice tabu-
las, quae posteris loquantur, & exemplum doceant subsequutu-
ra secula. Aequum est nunquam moriatur, cui omnes vitam
suam ferunt conservatam. Verum videor mihi, Heroem no-
strum ex caelesti arce, ita quasi audire dicentem. *Quod ruitis Ci-
ves? quorsum audacia vestra haec facit? quae contumacia cor-
rupit mentem? quae impietas fascinauit animum? Egone su-
stinerem mihi apponi gloriae, cujus aestimatio tota pertinet ad
Principem? aut quae eidem abstulistis in me derivari? Mini-
ster fui, minister, & instrumenti locavi operam; quod succes-
sibus non caruerit, Principis deferendum & imperii fortuna.
Adfuit Consiliis ejus Numen, conatibus felicitatem indulgit.
Adeone ejus se antiquam me Germanorum fidem censetis? apud
quos fortia facta gloriae Principis adscribere praecipuum sacra-
mentum. An ignorare censetis, quae ipsos barbaros docuit Natura?
Prospera atq; leta Regnantibus assignanda esse; nisi quibusdam
in hoc solummodo peccantibus, ut adversa quoq; (si quando vel
fortuna in acie destituisset, aut sterilitas afflixisset annos) Re-
gibus impegerint; Imò quod sacramento Imperaturos adigisse
legantur, effecturos strenue, ne Sol cursu, aut splendore deficiat
Luna, ut tempesta cadant pluviae, nec flumina aut ripae are-
ant, & quae reliqua divinitatis munera, non nisi ab initiali re-
rum causa impetranda, quae ab homine exegerunt. Invidebitis-
ne gloriae meae, quae inter mortales, jam tum durat, species cor-
poris licet subducta, & amplius non sit, ut superbia vitio con-
taminare studeatis? Dicetis, difficilius esse imperata facere,
quam facienda imperare. Verum sciatis velim, quod haec
Principum non concernant negotia, largiuntur successus iidem
qui imperant. Est enim illorum majestas omnes quasi diffusa
per*

Strada de bel-
lo Belgico.

per artus imperii, totoq; miscens se corpore agit at molem, partibus
singulis spiritum non tantum atq; vitam, sed & statum dispensant, for-
tunamq;. Horrescunt comæ AUDITORES, stupefcit Juvenilis a-
nimus, & an magnum illum Tiberii nepotem, Germanicum in-
quam, me audivisse disferentem; an laudatissimum Taciti socerum,
Agricolam, dicam, oppidò nescio: quibus in magnis expeditioni-
bus conscientia facti sufficiebat, eventum omnem Imperii fortunę
attribuentes: an amabilem Pythagoricorum insaniam amplectar,
atq; relictis æthereis sedibus, generosam Heroum istorum mentem
membra BULAVI infedis asseram? Ita namq; erat in vitâ, nihil
sibi vendicans, semper infra aliorum æstimationes sese metiebatur.
Atq; sic historiam vitæ BULAVI publicæ pertexui propemodum,
nisi quæ de legationibus gravissimis commemoranda restant. Sed
de his quid dicam? brevis & miscellanæ orationis ambitus non ca-
pit, & omnia si dixero minus tamen erit? Quodcunq; enim lega-
tionis munus esset obeundum, BULAVUS poscebatur: seu ordi-
nanda esset provincia, s. conventus Imperii celebrandi, s. ad exte-
ros invisendum Principes; exhibendi vel officii, vel salutis publicæ
causa; iterum iterumq; allegabatur BULAVUS: nec ulla tam gra-
vis fuit cura, quin non ipsi imponeretur, nec imposita, quam affli-
xisset unquam. Ordinare peritè atq; disponere noverat causam,
tueri mittentis personam magnificè, nec lædere excipientis maje-
statem, & quæ petisset facile impetrare. Ne autem mortuo me hoc
dare censeatis; fidem conciliabit felicissima quondam CHRISTI-
NA, nunc infelix Christiana, Regina Sveciæ, ad quam miserat Au-
gustissimus Cimbrorum Princeps BULAVUM, non legatione
liberâ, licet auctus inclyto honore redierit, sed ut modo firmatæ
paci nova firmamenta adderentur. Admirabatur Regina capitis
venerandam canitiem, inhærebant oculi gratiæ vultus, nullo trista-
tæ metu. Cum exponeret facundè causam, Periclem audire, cum
tractaret prudenter, Catonem rediisse in vitam perhibetur putas-
se. De cæteris judicium in proclivi est; nunquam BULAVUS sibi
erat dissimilis, ut difficilius à virtute, quam Sol à cursu averti posset.
Pergo nunc, ut de privatâ ejus vitâ connectam nō multa (juvat enim
de magnis viris nosse omnia.) Sociam vitæ junxerat MARGARE-
TAM sibi, inclytâ RVNTZOVIVM ortam prosapiâ, ingens
matronarū decus, atq; muliebrium illustre virtutum exemplar. Ex
quâ liberos non sustulit quidē; felicior tamen hoc nomine AUGU-
STO ipso, (quæ pater æstimandus est. & si fas componere tanto cū
fastigio BULAVUM) qui licet suscepit quid prolis, relegare ta-
men ob vitæ probra, atq; carcinoma dicere suum, habuit necesse.
Utebatur commodo ac facili marito Uxor, domestici hero æquo
& clementi. Nullum in domo ejus luxuriæ, & apparatus nimii, o-
mnia necessitatis modo erant finita. Humaniter admittebat, audie-
batq; quosvis, fastidiens neminem. Prompta animi bonitas omnes
juvandi voluptate ducebatur, nunquam tamen imputabat bene-
ficiū

Anno M.DC.
XIX.

ficiū; nam Germānus erat. Studiosius pr̄ter ceterā agebat, str̄-
pem petentibus ne deeset, & pro virili succurreret periclitantium
literarum fato; procederent studia feliciter, sine quibus Reipublicæ
salus incolumis esse non potest. Nullus accessit ad eum tenuis for-
tunæ Scholasticus, cuius non levaret fortunas, erigeret demissum
animum certā spe, aut precibus faceret satis. Antequam vivere de-
sisset, ordinavit stipendia, qui divinis literis operantur distribuenda,
ut in morte egenis subveniret quoque. Nihil falsi prædico, AVDI-
TORES, attestor conscientiam; Contulit, contulit, inquam, BU-
LAVVUS in me, & Virtuosa ejus conjux, non modio, neque trimodio,
sed toto, quod dici solet, horreo beneficia, postquam, ut in hoc li-
terarum studio ponerem vitæ curriculum, autor fuisset; impertit
sumptibus non exiguis. O magne Heros! O sancti manes! quibus
demerēbo gratias? cælestibus delegabo virtutibus:

Et sit terra levis, sit in urnā perpetuum Ver.

quicquid præterea in me fuerit ingenii, quod sentio quā sit exiguum
quicquid à bonarum artium studio impetravero eruditionis, earū
rerum omnem fructum laudibus vestris in hac solemnitate hodiē
FERO, famæque DICO, DEDICO. PORRO AUDITORES, ut
totum exhibeam BULAVVUM, quis, quantumque colore vitæ fue-
rit, non dissimulandum, quo mentis affectu, quāve animi devotione
veneratus semper sit supremum Numen. Est quædam Virtus, quæ
nec mediocre habet laudis, nec infructuosa omnino, largiri egenis,
& in pauperes erogare pecunias; ast ubi pietate destituitur, Numi-
nisque caret obsequio, maximam sui fructus partem perdit. Verum
evitavit hoc damnum Hic Noster pulchrè, totus Deo, totus pietati
deditus. Ita instituerat vitam quotidianam, severiorē diei partem
precibus & Deo, quicquid otii defuncto munere reliquum animæ
impenderet. Nunquam abesse Divinis nisi iter & morbus essent
impedimento; stylo excipere sacrum sermonem, domi revolvere
animo, & cum domesticis de iisdem miscere sermones. O si no-
cturna lumina, inter quæ preces ad Deum fundere consueverat le-
cto surgens, ulla testari voce possent: quot redderent suspiria, quot
recitarent meditationes, quibus fatigare Numen solebat. Reliqua
pictatis argumenta mitto. exstat precationis quædam ardentissi-
mæ formula, quam ferventi spiritu composuit; quā utebatur quo-
tidie ad deprecandam noxiarum culpam, & facile constansque fa-
tum impetraret. Cum oblivisceretur nunquam, se esse morta-
lem, quin meminisset non raro, certo quidem instare diem decre-
torium, opperendum autem momentis singulis. Quid ergo ma-
jori habuit cura, imprimis ætate provector, quo propius ab ulti-
mo se stare intelligeret, quam quod oppeteret pulchrè, lætus, hilaris,
plenus optimæ spei fatum exciperet, neve imprudentem raperet
dies. Atque obtinuit, vitā cum exiret. O durum atque illatabile ver-
bum, quo abripis me? O ineluctabilis religionis vis! quæ tristitia,
quæ infaulta extorques verba? Itane læta publica infaultis casibus
luctuosa

luctuosa reddere, novum annum tristibus fœdare aures? quod jus
fasq; non erat: aut si hoc affectibus indulgerent demum audi-
tores; numne siccis oculis Patroni obitum narraturum clientē pu-
tas? quæ spes sustinebit sermonem? quæ succurret confidentia. Ve-
rum surdis cano, manere nequit animus intra sedes, omnis in BU-
LAVVI laudibus. Eluctari igitur oportet, & firmandum adverso
dolorem pectus. Annos duos & septuaginta fecerat BULAVVUS,
profecta incumbibat senectus, & ex lege naturæ imbecillior; tum
enim vergere non tantum vires incipiunt, sed planè procidere in-
crementis consumptis, hebescere sensus, dubia atq; infidelis memo-
riæ fides, corpus pariter atq; animus senio conficiuntur. Sed nihil
debilitatis hujus attulerat hic ætatis modus BULAVVO; vigor a-
nimo, corpori robur constabat. Quem igitur senectus lædere non
potuit, hunc morbus vehementissimus adoriebatur, febris quædam
æstuans, quâ excedente, consumptus quoq; est. Accersiti sunt mor-
borum quidem artifices, depellerent morbum, sed frustra: Suprema
imminebant. Quod cum auguraretur nobilissima mens, animo
magis quam corpori prospiciendum de salute censuit. Sæpius equi-
dem, cum tenax valde, & diuturnus esset morbus, doluit, quod ne-
gotiis Principis vacare non liceret: nullo alio credo sensu, nisi quod
Imperatorem oportere stantem mori recordaretur. Tandem vero
omnium mortalium rerum curam exiit animo, totâ mente cœlū
concupiens, devota noxiarum confessione expians animum, & cœ-
lesti pascens epulo, tanquam adjumentum luctanti. Dehinc va-
rios cum Ecclesiæ Antistite (Vir plurimum Rever. FRIDERICUS
Brand/erat, qui tum temporis conscientiam ejus moderabatur)
super rebus cœlestibus instituit sermones, non secus, ac si earum pri-
mitias jam tum delibasset. Sic & latus & hilaris exspectavit diem
suum, & involutus pietate suâ minime timebat mortem. Et qui
timeret quod dudum ante seculum peregerat? quid metueret, qui se-
cum CHRISTVM habebat? Ita namq; fruens sacro cibo exclama-
bat: Habeo! habeo? qui me redemit Christum, cujus jam corpore
vescor, bibo sanguinem. Habeo! habeo? cui in vitâ permisi me u-
ni, & in morte adhærebo. Ita quoq; cum repeteret animo, quod
circumstantes suggerebant: Jesu frater, commendatam in manus
tuas hanc animam suscipe in sinum, complexusq; benignè tuos,
placide exspiravit. Felix inter cætera, quod confecto tantæ ætatis spa-
tio, incolumi dignitate, florente famâ, salvis affinitatibus, superstite
uxore, plurimis deposito lachrumis, quæ meritorū sunt testimonia,
vitâ excederet. Quid ego nunc faciam? AUDITORES, aut quas
capesam partes? Solarine superstites? an adimere ægritudinem
Agnatis aggrediar? Leniit fortasse dierum numerus, nam ante qua-
dringennium extinctus est. An more Gentilium cœlestes religiones
expetam à vobis BULAVVO, profecto claritudine rerum heroicis
ingeniis connumerando? Sanè hoc si instituerem, producere neces-
sum non esset, qui BULAVVUM in cœlum euntem se vidisse Sa-
cramentum

Anno M.DC.
LIII.

FA 2a 4198

cramento confirmaret; testatur Pietas, & obsequium quo colebat
 Deum; perhibet studium, atque amor quo Principem, quo Rempu-
 blicam complectebatur, clamant suspiria atque preces, inter quae te-
 gumeto sese corporis exsolvit generosus spiritus. Sed fastidiat Gen-
 tilium superstitiones Christiana mens, procul habeat Paganorum
 impietate pietati qui dedit nomen. Aliud a vobis, Patres Academici
 reverendi, vosque reliqui gravissimi Viri, contendo precibus, aequius
 quid me impetraturum confido. Largimini immortalitatem vir-
 tutibus BVLAWI, aeternitate quae digna geserunt. Eat auspiciis
 vestris in secula tantae virtutis exemplar, secula erudiri quod potest.
 Liberate, tuemini, vindicate ab interitu, ab oblivione, hujus Herois
 virtuosam memoriam; vos potestis, vobis in proclivi est. Imita-
 mini, imitami Parentum vestrorum naturam, Vos magni Musarum
 filii, vos generosa Virtutum soboles, Virtus virum decorum lau-
 dibus interire prohibet. Vivat in Republica, cui antiquius nihil &
 cordi magis Rerum publicarum quam emolumentum. Et vos com-
 militones charissimi, si quis pietatis erga BVLAWUM sensus tangit
 animum, non expeto creptum lugeatis, aut statuam honoretis. Imbe-
 cillus hic est honos, ubi exaruerit lachrymae, aut concidere simula-
 chra, delit: forma mentis aeterna est, hanc concipite, tenete, expri-
 mite, non per aliam materiam & arte, nisi vestris ipsi moribus. Re-
 minisci, intueri, aemulari, quae supersunt exempla juvet; hac nulla
 major in mortuos, salubrior in viventes pietas. Sic omne BVLA-
 WI, quod meretur admirationem, vivet, victurumque est in ho-
 minum animis, famam rerum, & temporum aeternitate, hocque rerum
 corpus, quamdiu manebit incolume, comitem aevi sui BVLAWI
 laudem protrahet. Vobis vero, Rector Magnifice, & reliqui AU-
 DITORES, pulcherrimis vestrorum ordinum ornamentis specta-
 tissimi, benevolo quod affuistis animo, & patientem inconditam vo-
 ce disferenti aurem commodastis, quod vobis reponam gratiae
 in mundo nihil est, praeter bona quaedam verba, & quod secunda pro-
 vestra incolumitate vota suscipiam; tertia licet post Kalendas Ja-
 nuarias septimanam, cum veteres tertia ante Nonas die consueverint.
 Tu igitur, Summe Coelestis Monarcha, qui supra nos negotium curas;
 Tu Sator rerum, & causa initialis omnium, publicam voce obtestor Te,
 atque calidissimis rogo precibus Custodi, serva Republica hujus lite-
 nariae presentem statum, cuius Autor es, quam ad tantum fame fa-
 stigium extulisti. Commendo Tibi, Aeternum NVMEN, amplissimum
 Academie Senatam; protege, sospita, eoque defuncto longissima mortali
 statione, successores quam serissimos suffice sed pari doctrina, pari fa-
 ma conspicuos, atque hodie coruscare video, cerno. Sit cunctis Aditori-
 bus felix faustusque annus, fluat idem prospere. Vigeat corpus, vale-
 at enervis, nec decrementum vires sentiant. Largire docentibus
 gratiam; Spiritum discantibus. Et velis cuncta, quae
 semper volent.

DCMond III

ILICET.

up 17

mc



F.K. 75.

No. 23.

Za
4198

14

X 2047562

JUSTA PARENTALIA

IN HONOREM

ILLVS
CHRIS

JOHA

ORI

IN DUCATU BR

COENOBII (VETUS QV

ET SERENISSIMI DUCIS

NEC NON BELLI GEN

FELICISSIMI, ADMIN

BUTTANÆ,

IN ACAD

GEOR

Typis Johar

ANN

l. Typ.



Monf. Sifonbr